



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

De catholica, & populari propositione. Cap. LI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

desse omnibus; hanc vitam esse exilium; solam, vt S. Hieronymus scripsit, esse apud Deum libertatem, non seruire peccatis: summam apud eundem Deum esse nobilitatem, clarum esse virtutibus: exilium huius vitæ, a quo animo esse ferendum, donèc nos euocauerit Dominus; calamitates exulum considerandas; de caelesti patria cogitandum; eleemosynas præmittendas multorum generum; largiendum pauperibus, quantum facultas fert; remittendas iniurias; docendos & consolandos, qui doctrina & consolatione egent, subueniendum, vt vno verbo dicam, aliorum calamitatibus. Ad quas, et multas alias digressiones faciendas, magnam oratori Ecclesiastico copiam supeditabunt libri de virtutibus & vitijs, quos sancti theologi nobis reliquerunt, sed imprimis præclarus ille, quem hac de re scripsit Gulielmus Peraldus episcopus Lugdunensis. Monemus nos clericos, vt de his quæ diximus, & de alijs, nunquam nisi pijs precibus, consulto sancto Spiritu, ita digrediantur, vt vnde digressi sint, nõ reuertatur.

De catholica, & populari propositione.

Cap. LI.

CATHOLICA propositio est sanctæ matris ecclesiæ, quæ est magistra & interpretis omnis veritatis; enunciatio; eaque vetustate & consensu patrum dignoscitur. quoniam verò non omnis catholica propositio, ad intelligentiam populi potest accommodari, vt quæ de angelis subtiliter & verè disputantur, aut de reuelationibus, quæ in Apocalypsi traditæ sunt; necesse est vt sit etiam popularis: popularem autem intelligo, non quæ facile auditoribus probetur, sed quæ populorum infirmitati

aut

aut moribus sit accommodata; quod præclarè etiã, vt docet S. Gregorius pontifex, in Euangelio mystica descriptione ostenditur, cum dicitur: Ascendit Iesus in nauiculã Petri, & rogauit, vt reduceret pusillum; & itã sedens, prædicabat turbis; nõ enim in terra, aut ab ea longè distans, prædicabat; vt ea ratione doceret, neq; terrena, neq; cælestia, sed ea tantum, quæ ad populorũ salutem pertinent, & ad eorum captũ accommodata sunt, in medium esse afferenda. Quamobrẽ huiusmodi propositiones tractandæ sunt, quibus religio conseruetur, crescat fides, spes excitetur, charitas nutriatur, leges custodiãtur, domus, ciuitates, regna pace fruantur, vt sunt illæ: Nemini iniurias inferendas; melius affici, quã afficere, iniuria; nihil Christiano esse felicius, si se ipse nõrit, & conuenienter nomini Christiano viuat; Deum paterno imperio administrare hunc mundum, et huiusmodi. sed maximè caueat, ne vnquam ea proponat, quæ seditionem possint mouere, diuitum auaritiã reprehendens, pauperes reprehendat etiã, qui diuitibus solent inuidere, & occasione nobilium virtutum comparãdarum nõ agnoscunt. Est enim paupertas sobrietatis mater, nutrix temperãtiæ, & omnium virtutum custos, si ea rectè vti nouerint homines. Proponit S. mater Ecclesia euangelia, proponit epistolas; sibi quisque eorum alterũ, aut aliquem psalmũ, aut partem catechismi potest sumere interpretãdam. Laudamus nos eos, qui S. matris ecclesiæ præscriptum sequentes, Euangelia sibi explicanda proponunt, & cum eis epistola interpretationem coniungũt. Verũ vt in hac etiã interpretationis parte, clericorũ studijs consulamus; de arte siue ratione, explicãdi sacras literas, hoc loco breuiter agendũ videtur.